



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 74. Quænam in Ecclesia exortæ sint hæreses circa Sacramentum
Eucharistiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42545

modi nominum & titulorum. Præcipua nomina sunt, 1. *Synaxis*, sive *Communio*, quia per ipsam communicamus cum Christo, participantibus ejus Divinitatem & humanitatem, 2. *Panis*, quia animam nutrit. 3. *Convivium*; quia animam satiat. 4. *Cæna Dominica*, quia Christus vespere instituit. 5. *Venerabile*, quia est Sacramentum inter reliqua dignissimum. 6. *Sacrificium*, *hostia*, *victima*, quia offertur Deo. 7. *Memoriale passionis*, quia fit in commemorationem Christi passi. 8. *Viaticum*, quia per eam præparamur ad viam, ex hac in æternam vitam.

405. Q. 74. *Quenam in Ecclesia exorta sint hæreses circa Sacramentum Eucharisticæ. R.* Esse propè innumeras, sed præcipuæ sunt seqq.

1. Aliqui negarunt Eucharistiam esse Sacramentum, volentes vel nullum, vel solum Baptismum esse Sacramentum, uti habet *Dicast* d. 1. n. 5. Et *Ubiquistæ* etiam re ipsa tollebant hoc Sacramentum, dicendo Christum esse ubique, uti rectè *Bellarmin.* l. 3. c. 17., contra quos fusissimè agit *Valent. sect.* 3. in *Controv. Ubiquitaria.* Damnantur autem illi omnes à variis Conciliis apud *Arr.* d. 28. n. 2.; novissimè à *Trid. sess.* 7. de *Sacram.* in genere, *Can.* 1., & *sess.* 13. per omnia capita & *Canones.* Neque Sacramentum esse negarunt *Lutherus* vel *Calv.* imò nec *Mahomet*, teste *Lugo* d. 1. n. 1., qui hoc solùm culpatur, quòd Christiani, cum credant Christum esse Deum, nihilominus eum devorent; sed damnatur in supradictis Conciliis, quæ definiunt Christum rectè & utiliter sumi à fidelibus.

2. *Sacramentarii* dixerunt in hoc consistere totam rationem Sacramenti, quòd Christus in-

sticu-

stituit panem & vinum tanquam symbola Corporis & Sanguinis sui, de cætero Christum nullibi esse præsentem nisi in coelo: sed damnantur, uti alii n. 9. referendi: & contra illos fusissimè disputat *Valent. l. 4.*

3. *Catharistæ*, Manetis discipuli, docuerunt Eucharistiam non posse ex pane confici: sed damnantur à *Conc. Florent. pag. 1167.* in Decreto unionis sub *Eugenio IV.*, quod incipit, *Latentur.*

4. *Græci & Armeni* dixerunt Eucharistiam non esse conficiendam in azymo sed in fermentato: *Lutherani & Calvinistæ* dixerunt fermentatum esse convenientiorem: sed damnantur à *Florent. ibidem.*

5. *Aquarii* docuerunt pro consecratione Calicis non esse apponendum vinum, sed solam aquam: sed damnantur à *Conc. Lateran. & Trident. Sess. 13. Cap. 4. & Can. 2.*

6. *Græci & Armeni* putarunt pro consecratione Calicis non esse apponendam aquam: sed damnantur in *Conc. Carthaginensi III. & Florent. in Decreto unionis Armenorum.*

7. *Valdenses* dixerunt modum consecrandi Ecclesiæ Romanæ non esse verum modum: sed damnantur à *Florent. supra.*

8. Circa hæc quatuor verba consecrationis, *hoc est corpus meum*, refert *Bellarmin. l. 1. c. 8.* suo tempore jam enatas fuisse ducentas erroneas expositiones, quas tamen reducit ad novem velut capitales: quarum tres fundantur in pronomine, *hoc*; duæ in verbo, *est*; tres in nomine, *Corpus*; una in pronomine, *Meum*; quæ omnes damnatæ sunt à variis *Conc.*, ac esse Scripturæ contrarias probat *Bellarmin. c. 10.*

409. 9. Armeni, Bevingarius, VVicleff, Calvinus & alii apud Bellarm. c. 1. dixerunt Christum non esse verè & realiter præsentem in Eucharistia: sed post alia Conc., quæ refert Aversa q. 3. s. 1. §. Constat, damnantur à Trid. sess. 13. Can. 1. & 8.

10. Lutherus, Bucerus & alii apud Bellarm. l. 4. c. 1. dixerunt Christum non esse realiter præsentem, nisi in solo usu sive sumptione: sed damnantur à Trid. ibidem Can. 4. 6. & 7.

11. VVicleff, Lutherus & alii apud Aversam s. 4. dixerunt non fieri transubstantiationem, sed post consecrationem manere panem & vinum cum Corpore & Sanguine Christi: sed damnantur in Conc. Constantiensi & Trid. Can. 1. itemque in aliis apud Aversam §. Secundo.

12. Lutherus & alii dixerunt, quamvis Christus sit præsens in Eucharistia, tamen ibi non esse adorandum: sed damnantur à Trid. Can. 6. Potestque videri Aversa q. 9. s. 3.

410. 13. Messaliani & Armeni docuerunt Eucharistiam nec prodesse, nec obesse: sed damnantur à Trid. Cap. 2. & Can. 5.

14. Græci putarunt Eucharistiam habere majorem vim die Jovis Sancto quam aliis diebus: sed repugnat Florent. in Decr. de unione Græcor.

411. 15. Lutherus & alii apud Bellarm. l. 4. c. 17. tenuerunt Eucharistiam à peccatore sumi posse sine Confessione, solâ fide præviâ: sed damnantur à Trident. Cap. 7. & Can. 11. Imò ab ipsomet Apostolo 1. ad Corinth. 11. v. 28. Probes autem seipsum homo &c. V. Bellarm. c. 18. & 19.

16. Quidam apud Magist. l. 4. sentent. dist. 9. dixerunt à peccatore non recipi Corpus Christi: sed damnantur à Trident. supra.

17. Græci, Petrus Dresensis, Lutherus & alii dixerunt

runt Eucharistiam ab omnibus esse sumendam in utraque specie : sed damnantur à Conc. Constant. sess. 13 Basileensi ss. 31. Trid. sess. 21. c. 1. & 2. Vide Aversam q. 8. s. 4.

18. Omnes ferè horum temporum hæretici 412. apud Bellarm. de Missa l. 1. c. 5. negant Eucharistiam habere rationem veram Sacrificii ; & specialiter non habere rationem Sacrificii propitiatorii, docuerunt alii hæretici, quos refert ibidem Bellarm. l. 2. c. 1. sed damnantur in multis Conc. apud Aversam q. 11. s. 1. & Pasqual. de Sacrif. q. 22. n. 2. novissimè in Trid. ss. 22. cap. 1. & Can. 1. 3. & 4.

19. Specialiter Missas privatas, aut in quibus solus Sacerdos communicat, aut si legantur lingua nō vulgari, illicitas esse, docuerunt varii hæretici : sed damnantur à Trid. sess. 22. can. 8. & 9. itémque ab aliis Conc. apud Bellarm. supra cap. 9.

20. Ceremonias Missæ esse inutiles & vanas dicunt plerique Calvinistæ : sed damnantur à Trid. supra Can. 7. omnesq; eas ceremonias & Orationes Missæ esse pias, antiquissimas & verissimas, demonstrat Bellarm. supra Cap. 4 & seqq.

21. Lutherus dixit omnes fideles posse consecrare Eucharistiam, & omnes hoc modo esse Sacerdotes, quamvis fieri non debeat, nisi à deputatis ad hoc, uti refert Bellarm. l. 4. c. 16. ; sed damnatur à Conc. Nicæno, Arelatensi, Lateran. Florent. apud Aversam q. 10. s. 1. & Bernal d. 45. n. 4. novissimè à Trid. ss. 23. Cap. 4.

Q. 75. Quid præterea notandum sit circa sumptionem. 414. & seqq. §. 1. Dicast. d. 1 à n. 36. docet sumptionē pertinere ad completam essentiā hujus Sacramenti, sed loquendū est cū communi, quod Sacramentū totū sit ante sumptionē, & sumptio sit tantū applicatio, sive conditio ad hoc, ut Sacramentum